



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De incendiariis & eorum pænis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

delegatæ etiam illius potestatis à Magistra culaico, modò punitio non requirit pœnam sanguinis, ex c. in Archiepiscopatu 4. h. t. patet, præsertim si delegatorialis fiat à Principe laico in favorem Ecclesiarum, ac salutem animarum: si tamen mixti fori crimen sit, non tantum ex vi factæ sibi delegationis, sed ex ordinaria sua jurisdictione spiritali iudicare, & punire illud potest Episcopus.

SECTIO II.

De incendiariis & violatoribus Ecclesiarum.

§. I.

De incendiariis & eorum pœnis.

Incendiarii propriè dicuntur illi, qui datâ operâ apposito igne, scientes, & prudentes civitatem, domum, aut prædium alienum &c. incendunt, sive urbanum hoc sit, sive rusticum, sive ex odio & vindicta, sive ullo dolo malo hoc faciant, aut mandatum, vel auxilium &c. ad hoc faciendum præstent, nisi belli iura tales excusent. Pœnæ autem, quas incurrunt hi incendiarii, de iure civili sunt pœna capitis vel exilii, vel levior etiam castigatio, iuxta leviores fortassis culpam, aut negligentiam admissam &c. De iure verò Canonico incendiarii sacrorum locorum sunt ipso iure excommunicati *Can. Canonica 107. caus. 11. q. 3.* à solo Papa absolventi post

eorum denuntiationem factam c. Tuos 19. de sent. excommunicata. aliorum verò ædificiorum non sacrorum incendiarii, sicut & mandantes, & qui auxilium illis præbent, præter damni dati restitutionem, sunt per sententiam Iudicis excommunicandi *Can. si quis 31. caus. 23. q. 3.* Et nonnunquam etiam privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, nisi in morte pœnitentes & absoluti moriantur. c. in litteris 5. h. t.

§. II.

De violatoribus Ecclesiarum, & eorum pœnis.

Violatores Ecclesiarum, hîc dicuntur, qui Ecclesias, vel alia loca religiosa & pia violenter effringunt, ac spoliant. In quos pœna excommunicationis latæ sententiæ statuta est. c. Conquesti 22. de sentent. excommunicata. Neque sunt admittendi ad pœnitentiam, si manifestè fuerint deprehensi, nisi prius damna reficiant, vel de illis caveant, aut sint in articulo mortis constituti, ita tamen ut ad pœnitentiam tum quidem admittantur, Clericis tamen prohibitum sit, eorum interesse sepulturis, aut elemosynam ab illis accipere, sub pœna depositionis ab ordine, & privationis beneficiorum, prout etiam de raptoribus statutum est, juxta *cit. c. supra eo, &c.*

50) 50

TITV.